



braicorum institutorum vestigia deprehendere licet, comprobavit. Communi enim lege civitatis cautum fuit atque prospectum, ne quis sine successore certo, bonorum nominisque simul herede, qui illius vel natura esset, vel sensu civili haberetur filius, moreretur. Quod si factum esset, a propinquis offerretur magistratui, qui defuncto, in eius nomen quasi adoptatus, successor constitueretur. In quam rem doctissimus Perizonius *d. l. p. 70. seqq.* excitavit egregium locum Isaï *orat. VI.* de Apollodori hereditate, ubi huius instituti, atque legislationis Atticæ mentionem fecit. Verba Isaï adscribere haud grauabor. Sunt autem hæc:

Πάντες οἱ τελευτήσων μέλλοντες πρόνοιαν ποιῶνται σφῶν αὐτῶν, ὅπως μὴ ἐξερημώσωσι τὰς σφετέρους αὐτῶν οἰκίας, ἀλλ' ἔσται τις καὶ ἑναγίων, καὶ πάντα τὰ νομιζόμενα αὐτοῖς ποιήσων. διὸ καὶ ἄπαιδες τελευτήσων, ἄλλον (ut recte Perizonius emendat) ποιησάμενοι καταλείψωσι. Καὶ ἑμόνον, ἰδίᾳ ταῦτα γνώσκωσι, ἀλλὰ καὶ δημοσίᾳ τὸ κοινὸν τῆς πόλεως ἔτω ταῦτ' ἐγνώκε. Νόμῳ γὰρ τῶν Ἀρχόντων τῶν οἰκῶν, ὅπως αὐτῶν μὴ ἐξερημῶνται, προστάττει τὴν ἐπιμέλειαν.

Quæ rectius, quam Alphonsus Miniatus, Perizonius vertit sic: *Omnes morti iam proximi sibi ipsi prospiciunt, ne suas ipsorum domos seu familias ad solitudinem redigant, vel, sine successore sibi proprio relinquunt, sed ut sit aliquis, qui et sibi parentet, et omnia sibi placita, vel sollemnia et legibus sancita faciat. Idcirco etiam, si sine liberis morituri sunt, alium adoptantes relinquunt. Neque solum privati illi ista sentiunt, sed et publice respublica civitatis ea sic decrevit. Lege enim Archonti vel praetori,*

ne